

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris  
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,  
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,  
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter  
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad  
proxim accommodatas

**Archdekin, Richard**

**Antverpiæ, 1682**

Quæstio 18. Fidelitas in pactis cum Hæreticis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40873**

Pars 3. tract. 6. Resolutiones practicae ad &c. 565  
vel Dominico in illo opere occupandus, modo  
ad festi violationem nullo modo inducatur, &  
alias eo die fuerit aliquid operaturus. Quia qui  
sic opus præbet, merè passivè se habet ad illam  
festi violationem: modò non fuerit operantis  
Dominus aut superior, cuius est procurare ut à  
subdito festa observentur: ita Lessius in posth.  
ver. heret. cas. 6.

QUÆSTIO XVIII. *Fidelitas in pactis  
cum hæreticis.*

**A**N doceant Catholici, pacta merè politica  
à Pontifice Romano posse irritari: aut da-  
tam hæreticis fidem non esse servandam?

Respondeo, Doctores Catholicos ab illa doc-  
trina prorsus abhorrende, quam quidam hæretici  
per summam calumniam ipsis affingere conan-  
turi. Homines scilicet perfidi omnes de perfidia  
suspectos habent, ut Sedem Romanam, quam  
nequeunt veris argumentis impetrere, fabricatis  
in suo cerebro calumnijs apud imperitum popu-  
lum in odium & invidiam vocent. Ex adverso  
communem Ecclesiæ Romanæ doctrinam in  
hoc puncto apertè depromit Molanus de fide &c.  
cap. 14. Ubi disertè pronunciat Romani Ponti-  
ficiis autoritatem nullam esse ad destructionem  
sed ad ædificationem, quia autem absque mag-  
na destructione non posset dispensare ut fides  
publica à Concilio, aut Principe violetur, ideo  
dispensationis ejus authoritas & potestas eo se  
non extendit; neque ullum hactenus extitit hu-  
jus rei exemplum. Eundem Ecclesiæ sensum  
tradit Tannerus de fide disp. 1. quest. 9. dub. 4.

Quam verò sanctè inviolatèque promissa,  
etiam hæreticis, in Ecclesia Romana serventur,

pro-

566 Pars 3. tract. 6. Resolutiones practica ad C. probat locupletissimum exemplum duorum Imperatorum erga ipsum Lutherum hæresiarcham, qui litteris salvi conductus à Maximiliano Imperatore communitus, Augustæ coram Cajetano Cardinale illæsus comparuit, & recessit; quamvis ipse de non disseminanda hæresi datam fidem violaverit: iterumque Wormatiæ, ob præstitum à Carolo Cæfare promissum, quamvis pænæ reus, ab omni noxa immunis permansit.

QUÆSTIO XIX. Disputatio cum hæreticis,  
& ejus norma.

Quo modo, & quibus licitum est cum hæreticis disputare?

Respondeo cum Tannero *de fide disp. 2. q. 5. dub. 5.* opus esse cautelâ & discretione ut cum hæreticis licet & fructuosè disputatio instituitur, tam ex parte disputantis, quam audientium, & modi quo disputatur.

Nam quoad personam Disputantis, *Cap. Quicunque. §. Inhibemus, de heret. in 6.* Laicis sub excommunicatione ferendæ, non latæ, sententia, prohibetur de fide disputare: quod intelligentius non materialiter, sed formaliter, & ex professo de fide disputationem instituere, *juxta Cajetanum hic art. 7.* Quin imo Valencia *de fide disp. 1. q. 1. punc. 4.* legem illam non immerito existimat per contrariam consuetudinem, praesertim in Germania, aliisque similibus locis, abrogatam esse. Et sanè si vir doctus, etiam laicus ubi magna appetet utilitas, cum hæretico congregiatur, ab omnibus judicatur à legis transgressione immunis.

At si quis rudis & imperitus cum hæretico for-

malem